Nobilissime et Amplissime Vir,

Filij tui in studijs progressum, quem ex me scire desiderat,
paucis ad te perscribo: qui quamvis pro temporis, quod meum
cepit, angustia, ejusque absentia crebriore, tantus fortasse non sit,
ut vestro utriusque voto omni ex parte respondeat, tamen et
ipsius voluntate, et meo labore quotidiano mediocris existimari
potest. Statim enim, ut ad me venit, stylo, cujus propter
leviorem Grammaticae cognitionem, adhuc rudior erat, per
menses aliquot assiduam operam dedit, tum Belgicum La-
tinè, tum Latinum Belgicè vertendo: tantoque successu,
ut mox Chrias et Epistolas secundum praescriptam metho-
dum componere coeperit; imitatus prae caeteris ipsum Roma-
nae eloquentiae parentem Ciceronem, quem quotidie et legit,
et explicat. Postea ut graviorum praeludijs, orationcu-
las aliquot laudis ac vituperij nuper adiunxit: in quibus porro,
generalibus Oratoriae praeceptis penitius imbutum, tantos
progressus facturum spero, ut in gravioribus ejus ~~generis~~
generis exercitijs, clariora industriae specimina daturus
sit. Praecepta vero Poeseos, cum Virgilium et Horatium
exponeret, addidit; et ad versuum compositionem, quamvis
infeliciter (non enim ad illos natus videtur) transtulit.
In Graeco novi Testamenti textu interpretando, Grammati-
ceque resolvendo tantum promovit, ut jam versus aliquot
in Βατραχομυομαχίᾳ Homeri aggressus sit. Adeo et Syn-
opsin Logicam, quam gravioribus compositionis exercitijs ut
earum fundamentum praemiseram, totam ita absolvit, ut pleniori
ejusdem institutione, meo quidem judicio, non indigeat.
Habes Nobiliss. et Ampliss. Vir, praesentem studiorum
filij tui rationem ac statum: quibus quo pacto felicius in
posterum consulatur, tui judicij et imperij erit, meique obse-
quij. Vale, et me ama. Dab. Bredae 30 April. 1651.

Nobilit. et Amplitud. tuae observan-
tissimus

Adr. Bubbenius m.p.

S. M. L. N. 147

BRITISH MUSEUM

© British Library
Add MS 22953, f. 18-19
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/5136

~~15~~

19

© British Library
Add MS 22953, f. 18-19
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/5136

Nobilissimo et Amplissimo
Viro, D.

Constantino Huygenio,

Equiti, Dno in Zuilichem et
Monikelandt, Celsissimo Arau-
sionensium Principi laudatiss.
mem.ae à consiliis et secretis.

Hagam-Comitis.

© British Library
Add MS 22953, f. 18-19
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/5136